UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sancta Melania maiore. Cap[itulum]. xciiij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

¶ De ſancto Viatore confeſſore. Cap.xc.

VIator confeſſor or-
dinē lectoris tenuit: et ſcti iuſti
lugduñ. epiſcopi comes fuit.
Qui cum eodem epiſcopatum
deſerente nauem conſcendit: et
ad egyptum nauigauit: atq; ei
in heremo ſedule miniſtrauit: vt dictum eſt ſu-
pra in eius legenda pridie idus octobris. Quo
decedente et ipſe poſt dies. viij. prout ipſi ſan-
ctus iuſtus predixerat: eum ad celos ſecutus
eſt. Nam ⁊ quieuit in pace. xiij. kalendas nouē-
bris. Quorum amborum corpora a ciuibus
lugdunēſibus exinde ſublata ad eorū ciuitatē
delata: ⁊ in eccleſia ſanctorū. vij. machabeorum
condigno cultu poſita ſunt. iiij. non. ſeptēbris.

¶ De ſancta Salome diſcipula. Cap.xci.

SAlome di-
ſcipula xpi fuit.
Que tēpore do-
minice paſſiōis
cuž reliquis ſanctis feminis
ad crucež aſtitit et circa eius
ſepulturam ſolicita fuit. De
qua theophilus et Chryſoſto-
mus dicūt: ꝙ hec fuit mater
filiorum zebedei: quod orige-
nes ſimiliter opinatur. vnde ſm iſtos cum dici-
tur in euangelio marci. Maria iacobi minoris
et ioſeph mater: ⁊ ſalome: et iterū maria mag-
dalene et maria iacobi ſubaudi minoris: et ſa-
lome: tūc iſtud nomen eſt nominatiui caſus: et
eſt nomē mulieris. Alij dicūt ꝙ eſt caſus gti: et
eſt nomen viri: ꝙ ſcilicet fuit vna alia maria
vxor ſalome. Hieronymus tamen in ſuo mar-
tylogio tradit eam mulierem fuiſſe: et in pace
apud hieroſolymam quieuiſſe. xi. kalendas no-
uembris: vt ado dicit.

¶ De ſancto Marco epiſcopo et
martyre. Cap.xcij.

MArcus eps
⁊ martyr apud hie-
roſolymam paſ-
ſus eſt. Hic clariſſi-
mus ⁊ doctiſſimus vir primus
fuit ex gentibus qui poſt epi-
ſcopos ex circunciſione eccle-
ſiam hieroſolymorum regen-
dam ſuſcepit: de quibus ſupra
eſt habitum in legenda za-
chei epiſcopi. x. kalendas ſeptembris. Sacer-
dotiū igitur illius ciuitatis ſancte ſuſcipiens:
non multo poſt pro confeſſione chriſti marty-
rio conſumatus: victorie palam promeruit. xi.
kalendas nouembris. Hec ado.

¶ De ſancto Melanio epiſcopo. Cap.xciij.

MElanius
epiſcopus tem-
pore valeriani ⁊
galieni impera-
torum claruit:
apud ciuitatem rothomageñ.
Qui de maiori britannia exor-
tus cum eſſet gētilis romam
venit vt patrie tributū ſolue-
ret: et imperatori deſeruiret.
Cum autem veniſſet ad templum martis vt ibi-
dem cum ſocijs ſacrificaret: cōuerſus eſt a ſan-
cto ſtephano papa ⁊ martyre ibidem predican-
te: et ab eodem baptizatus ipſi adheſit: quem
ille per omnes gradus eccleſie ad ſacerdotiuž
vſq; promouit. Qui fideliter in omnibus or-
dinibus domino deſeruiuit. Cumq; die qua-
dam pontifex celebraret: et ei melanius mini-
ſtraret: angelus domini a dextris altaris exti-
tit: quem vterq; illorū vidit. Qui ⁊ finita miſſa
baculum melanio dedit; et eum vrbi rothoma-
genſi a deo electum epiſcopum nunciauit: et vt
illuc ad predicandū accederet mandauit: chri-
ſtumq; ipſi ductorem futurum promiſit: ſta-
timq; diſparuit. Melanius ergo continuo ac-
cepta benedictione a papa diſceſſit: ⁊ chriſtum
itineris ducem habuit: veniens autem antiſio-
dorum inuenit hominem qui caſu bipenni ſibi
pedem in duas partes diuiſerat. Quem bacu-
lo quem ab angelo acceperat tetigit: et ipſum
ſine mora ſanauit; veniēs autem rothomagum
predicationis officio fideliter inſtitit: et mira-
culis clarens fere totum populum ad chriſtum
conuertit. ⁊ miniſterium ſuum implens in do-
mino quieuit vndecimo kalen. nouembris. Se-
pultuſq; eſt in eccleſia rothomagenſi.

¶ De ſancta Melania maiore. Cap.xciiij.

MElania
maior apd hie-
roſolymā cla-
ruit tēpore va-
lentis impera-
toris: vt dicit
heraclides. Hec nobiliſſima
ciuis romana filia quondam
marcelli conſulis vrbano eius
filio vnico pretore in vrbe reli-
cto hieroſolymam nauigauit: ibiq; tantis vir-
tutibus ⁊ humilitate refulſit: vt thecle nomen
acciperet. Fuit enī vxor venerabilis viri: que
annorū. xxij. exiſtens vidua: relicta patria ⁊ fi-
lio: vt dictum eſt: cum certis pueris et puellis:
omnibus ſuis in naui poſitis: primo alexādriā
nauigauit: ibiq; omnibus diſtractis ſanctos
patres in heremo reuiſit: ſcilicet pambonem:
ſerapionem: pannutium: iſidorum: et dioſco-
rum: apud quos ſex menſibus manſit: et eis ne-

ceſſaria miniſtrauit. Cum autem prefectus ale-
xandrie predictos viros domini cum quibuſ-
dam epiſcopis paleſtinam in exilium mitteret
Melania in habitu viri eos ſecuta eſt. Quod
audiens conſularis paleſtine: vt eam terreret:
in carcerem miſit: ſed eius nobilitatem compe
riens: eam protinus relaxauit: deditqꝫ ei licen-
tiam: vt quocunqꝫ vellet ad ſanctos pergeret
viſitandos. Illis vero ab exilio reuocatis mela-
nia hieroſolyme remanſit: habens ſecum ru-
finum aquileie presbyterum: per cuius ma-
nus ipſa epiſcopis ⁊ clericis ac peregrinis de
ſuis facultatibus miniſtrabat: ⁊ in talibus ope
ribus per annos. xxvij. pſeuerauit. Cuius ſan
ctis orationibus filius eius vrbanus in ſancti-
tate creuit: ⁊ nobiles nuptias cõtrahens: duos
filios catholicos ⁊ deuotos ꝓcreauit: qui etiã
matri ſue plura dona mittebat: vt ſanctis ele-
moſynis vberius inſiſterent. Hec apud hieru-
ſalem monaſterium conſtruxit: in quo virgines
l. deo ſeruientes poſuit: in quo ⁊ ipſa etatis ſue
anno. lix. in pace requieuit.

¶ De ſancta Melania iuniore. Cap. xcv.

Melania iu-
nior cuius predi
cta melania fuit
auia: prefati vrba
ni pretoris exti-
tit filia in vrbe roma procrea-
ta. Que cum inuita a parenti
bus nuptui tradita fuiſſet: et
duos filios quos genuerat:
nece admiſiſſet: cepit pulſare
virum de caſtitate ſeruanda: aut de licentia
peregrinandi ſibi concedenda. Qui licet diu-
tius recuſaſſet: licentiam tandem deo inſpirã-
te conceſſit: ⁊ omnes veſtes ſericas in pallia al
tarium dedit: reliquas per eccleſiarum ornamẽ
ta diſtribuit: aurum omne ſuum ⁊ argentuꝫ per
manus pauli presbyteri diſcurrentis continue
per egyptum thebaidẽ antiochiam: paleſtinã:
hieroſolymã: ⁊ alia loca ſancta: deſtinauit: ſer-
uos ⁊ ancillas manumiſit': poſſeſſionibus plu-
ribus venditis precium pauperibus diuiſit: ce
teras in ſubſidium monaſteriorũ retinuit. Sic-
qꝫ per vxorem conuerſus in virum alterum mu
tatus: mira penitentia ſe affligebat: ⁊ poſt alte
rum diem ſemper cibum ſumebat. ¶ Melania
vero in poſſeſſionibus ſuis cenobium conſtruxit
vbi cum. xv. eunuchis et. xl. virginibus et aliis
ancillis ſuis libertati traditis deo viuit. Pa-
rem quoqꝫ vir ſuus cum. xxx. monachis vitam
duxit: vterqꝫ ipſorum ieiunijs: lectionibus: et
orationibus vacans. Sicqꝫ ſancta dei melania
bone auie imitatrix effecta: plena virtutibus
in pace quieuit.

¶ De ſanctis munilione ⁊ eledia vir
ginibus ⁊ martyribus. Cap. xcvi

Manilio ⁊ eledia vir
gines ⁊ martyres apud ciuita
tem oſtiam paſſe ſunt: que pro
confeſſione chriſti diuturna cu
ſtodia macerate: atqꝫ deinde
capitali ſententia punite: pre-
cioſum martyrium celebrarunt. xi. kalẽdas no
uembris: vt dicit ado.

¶ De ſanctis Seruando ⁊ Germa
no martyribus. Cap. xcvij.

Seruãd'
⁊ german' mar
tyres apud hi-
ſpaniam paſſi
ſunt ſub preſi-
de viatore: qui poſt dira ver-
bera ⁊ ſqualorem carcerum: ⁊
ſitis ac famis iniuriam: ⁊ lon
giſſimi itineris laborem: quẽ
onuſti ferro iubente eodem
preſide pertuleret. Nouiſſime martyrii ſui cur-
ſum gladio ceſis ceruicibus impleuerunt: ex
quibus germanus apud emeritam ciuitatem
iuxta beatã eulaliam ſepultus eſt. Seruandus
vero apud hiſpalẽſe oppidũ iuxta ſanctas Iuſtã
⁊ Rufinam conditus eſt. Paſſi ſunt autem ſan
cti martyres decimo kalendas nouembris.

¶ De ſancto Seuerino epiſcopo
⁊ confeſſore. Cap. xcviij.

Seueri-
nus epiſcop'
colonieñ. apd
ipſam ciuita-
tem claruit.
Qui effrate
cuidã heretico ſucceſſit. Naꝫ
vt ſcribit in geſtis ſancti ſer
uatij: de quo ſupra actum eſt
iij. idus maij: dum ei reuela-
ta fuiſſet deſtructio vrbis treugrenſis ⁊ prelati
ac principes ipſum romam pro legatione deſti
narent. Reſpondit ſeruatius: iter non eſſe tu-
tum: niſi effrata hereticus ab epiſcopatu depo
neretur. Illico congregata ſynodo epiſcopo-
rum apud coloniam aggrippinam: effrata he-
reticus iudicio ſynodi condemnatus deponi-
tur: ⁊ ſeuerinus ordinatur. Dum autem ſerua-
tius rediret ab vrbe apud coloniam a ſeuerino
ſuſceptus eſt. qui dum nocte oraret: ſeuerinus
colonam ignis ſuper caput eius aſpexit: que
paulatim vſqꝫ ad ſe venit: in quo loco ſeuerin'
eccleſiam edificauit: quam ⁊ portam celi appel
lauit. Quieuit autem ſanctus ſeuerinus in do-
mino. x. kalendas nouembris.

¶ De ſancto Seuerino boetio
martyre. Cap. xcix.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN